Quelle: http://manuscripta.at/?ID=28694
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)



ostensa commemoraret, monachos eiusdem
cenobii in unum convenire precepit.
simul cum eis residentes, sanctum corpus de
tumulo in quo eatenus iacebat auferen-
dum, atque in sancti Galli ecclesia collocandum
pari voto ac communi consilio omnes u-
nanimiter decreverunt. Venerabilis etiam
abbas Grimaldus quorundam animos metu ac
formidine sentiens esse permotos, confi-
dentior ceteris effectus, infirmantium
mentes consolando roborat, et paterne af-
fectionis studio trepidantium corda
informat. astruens ex divine vo-
luntatis dispositione procedere, quod tam mi-
ri, de eodem tumulo sancti viri corpus
dominus auferre desideraret. Presul autem
preclarus, cum abbatem tam fiducialiter in his
rebus agere conspiceret, Harmotum decanum
una cum ceteris fratribus secum assumit, et ad
sepulchrum accedens, lapidem suppo-
situm removere, ipsumque sarcofagum in quo
thesaurus preciosi corporis iacebat precepit
aperire. Quo facto, membra sanctitate plena
inspiciens, monachos letaniam decan-
tare, precibusque devotis hortatur insis-
tere, deinde venerandas sancti patris exu-
vias humiliter deosculans, cum omni
reverentia de tumulo sublevavit, et in
lectica que illarum receptui paulo ante
compacta fuerat reposuit. Sub capite
autem et circa viri dei pectus quedam panis
rotule, que vulgo oblate dicuntur,
ita illese atque ab omni corruptione

extranee ab eodem episcopo inveniebantur,
ut in nulla omnino parte colorem vel
speciem sui omittentes, aspicientium
oculis infra spatium ipsius ebdomade viderentur
esse, ac si confecte. Quo vero ordine, queve in
tempore eo loci pervenerint, nobis quidem incog-
nitum, deo autem novimus esse manifestum.
Hoc autem omnibus pro certo sciendum, quod per xxx.v.
annos nullis mortalium eius sepulchrum
apertum, quamvis ante presens episcopus ministerium
sui fretus auctoritate, eidem congregatio-
nis fratribus hoc faciendum iniunxerit. Idem
tamen episcopus venerabiliter eas assumens,
sacculoque corpori apposuit, ipsumque corpus
cum summa cautela obvolutum, in lec-
tica supradicta honorifice commendavit.
Post hec quoque facto intervallo quasi hore
puncti, presul devotus hortatu Grimaldi
abbatis, debito cum honore sanctum virum
ex eodem oratorio iubet transferre. Tunc vero
omnis illa monachorum congregatio albis con-
tinuo vestibus induta, dulci modu-
latione in dei laudibus prerumpens, beati
viri corpus letabunda prosequitur. sicque
per numerose multitudinis populos quos amor
translationis eius attraxerat, magno cum
honore deducitur, ecclesiam sancti Galli in-
greditur, ac iuxta eius altarium in dextra
parte deponitur. Episcopus autem ad admonitionis
frequentiam populorum qui diversis ex partibus
illo convenerant, aliquid de sanctitate illius
velle audire, cum propter frigoris sub-
reptionem faucium raucedine